



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1694**

Parænesis Ad Juvenes Academicos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](#)

PARÆNESIS  
AD  
JUVENES  
ACADEMICOS.



Hod fuit olim Periclis seu optantis votum, seu cupientis desiderium ad populos dicentis, idem est & meum de hoc luctuosissimo argumento scribentis. Ita de eo Plutarchus: *Pericles quoties tribunal dicendi causa ascenderet, Deos compre cabatur, ne quid sibi præter suam voluntatem excideret, quod ad rem propositam non ficeret. Simile est meum desiderium, nec dissimile propositum. Absit ut mihi scribenti effluat è calamo scriptorio verbum, imò & verbi syllaba, aut syllabæ littera, aut litteræ apex, qui non, & ad eorum, quibus scribo salutem, & ad illius, de quo scribo, gloriam referatur. Assentior enim illi Christiano Tullio* (sic Lactantium appellat D. Hieronymus) ita loquenti: *Quod si vita est optanda Sapienti, profectò nullam aliam ob causam vivere optaverim, quam ut aliquid efficiam, quod vita dignum sit, & quod utilitatem legentibus, et si non ad eloquentiam, quia tenuis in nobis facundiae rivus est, ad vivendum tamen adferat, quod est maximè necessarium. Quo profectò, satis me vixisse arbitrabor, & officium hominis implesse, si labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos, ad iter cœlestē direxerit. Ad vos porro Juvenes Academicī, potissimum dirigitur hic meus labor, pro quibus,* cum

In vita  
eius.

Lactan. de  
opif. DEI  
6.20.

P A R A N E S I S.

cum hæc ipsa quæ scribo, de pulpite in Lovaniensi Academiâ dicerem, per annos viginti quinque laboravi. Utinam quanto meo conatu, tanto & vestro successu, ut autem hoc quod elaboravi, opus vobis consecrarem, illud præ cæteris me movit, & permovit, ut contra præsentissima, quibus exposita est vestrâ salus, pericula, certissima, quibus ea propulsaretis, suppeditarem præsidia. Pericula vobis creantur, tum à loco in quo degitis, tum ab ætate quam nunc agitis. Illo degitis loco, ubi vitiis omnibus, Virtuti vix ullus est locus, nisi Timore DEI in gyro honestatis, affectus vestri contineantur. Academia enim est velut freatum quoddam multorum Juvenum naufragiis infame, in quo plures assurgunt scopuli, multæ aperiuntur syrtes, ut nihil difficilius sit quam in cæcis illis tenebris, & procellis turbidorum animi affectuum, oculos mentis ad Deum, velut ad cynosurâ referre: nihil rarius quam salva rate extam ancipiti pelago enavigare atq; innocentiam sartam tectam conservare. Volitant enim illic discinctorum Juvenum petulantissimi greges, & fusis habenis per circum licentia feruntur, qui aut in gynecæis calidi, aut in Sphæristeriis callidi aut in circulis queruli ludum proterviæ ludere non decorum consueverunt. Quibus familiarius est ad multam diem obdormistere plumis, quam per adultam noctem impallescere chartis: quibus frequentior est in manu crater Bacchi, quam liber Balbi: quibus unum prope est studium, vitulari, pergræcari, nepotari. Hinc in Academiis raro est numerare Josephos in domicilio Putipharis, Danieles in aula Nabuchodonosoris, Gregorios, aut Thaumaturgos in Alexandriæ scholis: multis

VER 8

## AD JUVENES

verò passim Ganymedes; Adonides, Narcissulos,  
Hyacinthulos, Trossulos, verbo, filios prodigos.  
Quis in tam lubrico loco à periculis sit eximus?  
*Paulini, ep. & ad Sevet.* Divinæ quoddam est genus constantiæ, atq; vir-  
tutis, ut verbis utar S. Paulini, *inter ignes non uri, in-*  
*ter laqueos non capi, picem tangere, & non inquinari.*  
Tamen si quæ illic sit morum corruptela, non  
tam adscribi id debet Academiarum, quam juveni-  
bus Academicis, qui cum ipsi non raro sint cor-  
rupti, nihil est pronius, quam ut & aliorum sint  
corruptores. Quid enim est aliud Academia,  
quam nobilis ingeniorum, in qua exercentur pa-  
laestra, quam Themidis delubrum, Consilii curia,  
Artium liberalium receptaculum, Scientiarum  
omnium seminarium, in quo non modo Doctri-  
na, tabernaculum, sed & virtus collocare debet  
domicilium. Et certe ex Lovaniensi Academia  
tot, tanquam ex equo Trojano prodiere Äqui-  
tatis Antistites, Legum Interpretes, Religionum  
Præsides, qui deinde per variarum gentium re-  
giones disseminati, non tam in Belgio civitatem  
unam, quam in una civitate universum Belgium,  
commendarunt suis scientiis, illustrarunt virtu-  
tibus. His accedit ætas vestra, vitæ pars periculo-  
sa plena aleæ. Nihil adolescentia mollius, nihil  
cereum magis in vitium flecti, ac torqueri: ut ve-  
*Serm. 246. de Temp.* rißimum sit illud D. Augustini: *Flos etatis pericu-  
lum mentis.* A fronte, à tergo, ubiq; nexos habet  
laqueos, & pedicas, in quæ tam facile se induit,  
ut capi velle videatur. Examina innumerabilium  
vitiorum te agglomerant, & adjungunt Juventu-  
*Basil. in e. l. V. 4.* ti, ait S. Basilus. Omnia quidem affectuum sedes ho-  
mo, sed omnium affectuum fervor, est hominis Adolescen-  
tia. Hinc quidquid in homine est astiviaroris,  
late

P A R A N E S I S.

late se per Juvenes sp̄argit, quidquid vitiorum in  
aliis remissum, in adolescentia summum est. Ex-  
pansis velis omnium appetituum fulcatur mare,  
temerè, & audacter quovis vento, quāvis tempe-  
state infelices naucleri periculis arrogantiores  
naufragium non timent. Voluntas, & affectus  
pro ratione sunt. Si lubeat, satis est; licere non  
ponderatur. Ita effractis modestiæ repagulis, in-  
fruniti, ad obvia quæq; sceleræ, & vitia non cur-  
su tendunt, sed impetu ruunt. Immensum foret,  
vitiorum à quibus adolescentia male audit, cata-  
logum contexere. D. Ambrosius omnia quasi in  
unum cumulum eleganter conjectit, Adolescentia L. de Inter-  
sola est invalida viribus, infirma constitutio, vitio catens, pol. cap. 2.  
fastidiosa monitoribus, illecebrosa deliciis. Vnde bene Da-  
vid torius temporis ejus veniam sibi à Deo postulavit, dī-  
cens: Delicta Juventutis meæ, & ignorantias meas ne me  
mineras Domine: quod tunc maxime calor corporis fer-  
vet, & astu sanguinis vaporantis igne seit. Idem alibi:  
In Ps. 118.  
Serm. 16.  
Juventus ad amorem liberior, ad lapsum incavitor, ad  
infirmitatem fragilior, ad correctionem durior est. Inte-  
rim abest ab oculis parens; nullus est morum, qui  
illis invigilet, censor; nemo qui corripiat moni-  
tor. Quid ergo proclivius, quam inter tot pere-  
undi pericula, perire? Quid igitur ne pereatis cō-  
fili? quid præsidii? Hoc ipsum quod vobis elabo-  
ravi argumentum, est omnium præsidiorum, qui-  
bus pericula declinetis, quidam veluti comple-  
xus. DEUS homo pro hominibus & ab homi-  
nibus cruciatus, quid pro salute vos agere de-  
ceat, quid & fugere oporteat, docebit. Ille quo  
vos ire, ne aberretis, & quas vias ut metam attin-  
gatis, declinare debeatis, digito ostendet. Ille  
præscribet vobis normam, ad quam si mores ve-

**A D Juvenes.**

stros cōponatis, eritis in Academia quod sol in  
cēlo, liliū in viridario, gemma in annulo, hoc  
est, eritis Juvenes omnibus numeris absoluti, par-  
tibus perfecti, virtutibus consummati. quis unius  
rauci homuli vocula excandescat, si animo suo  
proponat, & sux tantillæ injuriæ opponat Regem  
gloriæ, quasi signum ad sagittam propositum, in  
quæ omnia injuriarum tela contorquentur? non-  
ne in unius perniciē hominis, omnis ætas, ordo  
gens, populus, mente, voluntate, cōspiratione,  
studio, voce, quasi signo dato, conjuravit? Coqui-  
tur à Judæis parricidale consilium, conflatur ab  
Ethnicis, actores subornantur illi, qui atrocissi-  
morum scelerū erant rei, viri Principes, profani,  
sacriq; & que tamen sacrilegi, sine jure, sine lege,  
sine crimine inaudita causa in viri caput, quæ in-  
sontem esse liquebat, subjicientibus materiam  
calumniæ ministris, injusta decernunt; ut ambi-  
tioni videlicet, atq; avaritiæ, innocentia sangui-  
ne litaretur. Per varia deinde tribunalia circum-  
ducitur, quando unum tantam injustitiam cape-  
re non poterat: neq; inveniebat locum ubi consi-  
stere summa iniqüitas, nisi forte apud summum  
Principem Sacerdotum; apud quem justitiæ de-  
buit esse principatus. Sistitur ante Caipham, à  
quo reus prius conjectus & in vincula, quam ad-  
cesserit ulla errati suspicio, ante condemnatur, quā  
dicat causam; ubi dum accusator pro crimen ad-  
fert mendacium, reus pro pœna subit injuriā: ubi  
rācerē periculum, respondere flagitium est: ubi  
mortem, non judicium intentant, ideoq; calum-  
niām, non accusationem adornant. Finem hunc  
putas Injustitiæ; Gradus est. Dimititur ad Pila-  
rum, apud quem legum ina nem ambitionis ple-  
num

P A R A N E S I S.

num Magistratus Judæorum factus de Judice ac-  
cusator, de accusatore testis, minore periculo, au-  
toritate majore, more suo non causæ cognitio-  
nem exposcat, sed crucē; de suppicio prius agat,  
quam de supplicii causa; reum, & reum tacentem  
non criminē, sed multitudine; nō testimoniis, sed  
clamoribus opprimit. Si hæc Judices, quid agent  
carnifices? Ab iis eos pertulit cruciatus, quos nul-  
lus ferre posset, nisi qui idem homo esset, & De-  
us. Quam ob rem ut exemplo ejus simus inter  
omnes injurias constantes, contra injurias auda-  
ces, ut adversus ipsam aduersitatem obduremuri;  
ut mala omnia, quibus vita nostra infestatur, &  
antequam advenerint, expectemus cū desiderio,  
& ubi advenerint, perferamus cum gaudio, consi-  
lium fuit, Christi patientis præcipua capita per-  
currere, & quasi seducto aulæo simul indicare, in  
quantam calamitatem pro filiis terræ, Rex cæli in  
hac funestissima omnium crudelitatum scena, su-  
am verterit felicitatem, quando ejus Constantia  
formidat; Libertas, ac Majestas captiva constricta  
gitur; Sapientia speciem stultitiae induit. Gloriæ  
Splendor infensis omnium oculis, animisq; con-  
spicitur; denique Vita omnis vitæ, moritur. Vos  
igitur, dum hæc vel legitis, vel auditis, vel animo  
volvitis, expendite pensiculatius, quo tandem  
vos animo, quâ mente, quâ voluntate, quâ reli-  
gione eum colere, ac venerari par est, qui ut vos  
morti addictos è mortis ereptos faucibus con-  
servaret, nostram non modo causam ut sponsor,  
sed personam suscepit ut reus. Quid non ei refe-  
ramus acceptum, à quo cuncta accepimus? Quid  
non ejus causa perferamus, per quem effectum  
est, perferre, ut omnia valeamus? Qui ei amoris  
fructus

**AD JUVENES.**

fructus esse non meritis potest , qui,cum omnes  
nos plus penè quam se ipse,plus planè quam nos  
ipsi dilexerit, illud præstítit, ut in se amando non  
officii modo , sed pietatis laudem quærere de-  
beamus.Finio, cum voto, ut DEI hominis san-  
guis fusus pro vestra salute,sit vobis ad salutem ;  
sic emptos vos fuisse pretio magno, erit pretium  
operæ,dum illo comparabitis vobis æternitatem  
gloriæ,& cum illa,lætitia.



**AD-**